quando eandem ſibi poteſtatem quam propheta magnus emeruit impetrandi iure
praeſumunt. Et bene praeſumunt quia ad ſermonem ſuum ignis de caelo de-
ſcenderet. quoniam ſunt filii tonitrui. Dominus autem mire omnia. nec illum teme-
re ſe offerentem recipit. nec in hos indevote dominum refutantes Chriſtum
commovetur. ut oſtenderet quia non ſit ultionis ſtudium perfecta virtus.
nec ulla ſit iracundia ubi plenitudo eſt caritatis. nec excludenda
infirmitas ſed iuvanda. Procul a religioſis indignatio. procul a ma-
gnanimis cupiditas ultionis. procul etiam a prudentibus inconſiderata con-
iunctio et incauta ſimplicitas. Unde et iſti dicitur. vulpes foveas ha-
bent. nec obſequium eius admittitur. cuius non probatur officium. Circumſpectum
et enim fidei eſſe debet hoſpicium. ne dum infidelibus noſtrae domus interna re-
ſeramus. in alienae perfidiae caſſes. improvida credulitate labamur.
Sed ne illud improvide praeteriſſe videamur. cur hic eos qui poſſint per ma-
nus impoſitionem immundis imperare ſpiritibus ſi in nomine Ieſu
faciant neget eſſe prohibendos. ſecundum Mattheum autem dicat his. non
novi vos diſcedite a me omnes operarii iniquitatis. advertere de-
bemus non eſſe diſtantiam ſenſus ſententiarumque diſcordiam. ſed illud cen-
ſeri eo quod non ſolum officia in clerico ſed etiam virtutis opera requirantur.
tantumque eſſe Chriſti nomen ut etiam parum ſcientes opituletur ad praeſidium. et ſi non
opituletur ad gratiam. Unde nemo iactare ſe debet nec purga-
ti hominis ſibi gratiam vendicare. in quo aeterni nominis virtus non ali-
qua poſſibilitas humanae fragilitatis operata ſit. Non enim merito
ſuo diabolus ſed odio ſuo vincitur. Quod poteſt homo ſinceram exhibe-
at fidem. et obſervantiam mandatorum religioſa mente cuſtodiat.
ne dicatur ei. vulpes foveas habent. Fallax quippe animal et in-
ſidiis ſemper intentum. rapinam fraudis exercet. Nihil tutum.
nihil otioſum. nihil patitur eſſe ſecurum. quod inter ipſa hoſpitia ho-
minum praedam requirat. Hereticis autem vulpes comparat. Denique cum
gentes vocet. hereticos excludit. Vulpis enim plenum frau-
dis eſt animal. foveam parans. et in fovea ſemper latere deſiderans.